



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 327. An & quomodo mulier contracto secundo Matrimonio, reduce illius viro, possit cum secundo remanere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

post: In tali casu tamen, quando adest solum præsumptio probabilis ex indicis & conjecturis, non autem indubitata certitudo, Judex ecclesiasticus in foro externo concedere licentiam transeundi ad secundas nuptias; idque confirmat constans Confistoriorum Episcopaliū praxis & communissima D.Dm. sententia, à qua in causâ tam ardua, qualis est matrimonialis, recedere, non licet. Porro quæ præstent certitudinem moralem, prudentis arbitrio relinquendum spectatis circumstantiis. Gutt. Sanch. LL. cit. Castrop. n. 4. De cætero sufficit talis certitudo moralis; cum in omni genere humanarum actionum & rerum ea sufficiat, & vix major haberi potest, ac proinde prætereà alia diligentia adhibenda non est, ut constat ex cit. c. in præsentia. Unde & per hoc correctum est jus civile, dum *Ant. hodie. c. de repudiis.* uxori audienti, virum in bello obiisse, interdicitur nuptiæ, quin prius ad eam belli ducem per se vel alium, ipseque juret obiisse, & aliorum testimonia recipiat, & insuper expectet per annum.

Quest. 324. An & qualiter fama præstet hanc certitudinem moralem.

REsp. Fama præcisè secundum se non præstat moralem certitudinem, utpote orta ab incerto auctore & sæpe fallaci. Pith. *ad tit. de spons. n. 134.* Laym. L. 3. c. 3. n. 1. Castrop. l. c. n. 8. juxta c. *vestra. de cohabit. Clericor.* adeoque fama præcisè de morte conjugis est insufficientis ad ineundum aliud matrimonium. Nihilominus tamen fama vestita circumstantiis & fulta iis adminiculis, quæ prudentis arbitrio faciunt moralem certitudinem, v. g. si mors dicatur contigisse in bello, in loco valde distante, vel si vir absens sit senex, constat de eo, quod fuerit æger, non redit, ubi redire promissit &c. ad hoc sufficiens est; quia jam habetur moralis certitudo. Castrop. n. 8, citatis Gl. in cit. c. *quoniam. v. presumatur.* Abb. in c. in præsentia. n. 6. Mascard. de prob. concl. 1073. n. 4. Sanch. L. 7. d. 46. n. 15. Gutt. c. 51. n. 4. Porro famam probandam duobus testibus omni exceptione majoribus, qui deponere debent, se à fide dignis audivisse, esseque in illo loco publicum, seque credere, rem sic se habere; quinimo, si non adsint conjecturæ probabiles de morte conjugis, debere illos explicare, à quibus personis audiverint, nisi forte sex vel octo testibus fama probetur, ajunt apud Castrop. Mascard. l. c. Sanch. n. 16. Leil. de just. L. 2. c. 29. n. 143.

Quest. 325. An & qualiter unius testis testimonium de morte conjugis præstet dictam certitudinem.

REsp. Affirmari hoc ipsum ab Abb. in c. in præsentia. n. 6. Host. *ibid. ad fin.* Gutt. n. 2. Angel. v. *matrim. 3. impedim. 13.* eò quòd in cit. c. in præsentia. solum exigatur certus nuncius, id est, ut Castrop. n. 5. qui, inspectata qualitate personæ & modo proponendi, judicetur verum dicere. Negant è contra Bartol. in L. 2. §. si dubitetur. ff. quemad. testam. aper. Pith. l. c. n. 134. Sanch. L. 7. d. 46. n. 12. sufficere testimonium testis unius, nisi conjecturis aliis adjuvetur; eò quòd unius testimonium solum semiplenè probet; adeoque non nisi ad generandum judicium probabile sufficiens, juxta *L. jurisjurandi c. de testib. & c. veniens. eod.* ubi dicitur: *verum unius nullius esse,* hoc est, nullius effectus ad ferendam sententiam; ad hæc in c. in præsentia. rō nuncium certum accipitur in neutro genere pro eo, quod nunciatur; sed dici non potest certum nuncium, quòd ab uno solo affirmatur. Sed neque in genere masculino nuncius certus dici potest unus

testis; quia non potest dici asserens certum nuncium, quod quis solus testatur. Pith. n. 134. cum Sanch. l. c. n. 11. Quas sententias ita conciliat Castrop. n. 7. cum Gutt. n. 2. ut unius testis dictum secundum se sit insufficientis; non verò, quando major probatio haberi nequit, & testis ex modo proponendi certum deponere præsumitur.

Quest. 326. An habita dicta certitudine morali, conjux adire possit secundas nuptias propria auctoritate nulla petita licentia Ordinarii.

REsp. Affirmativè: Nullibi enim cavetur, hanc licentiam esse petendam. Sylv. v. *matrimon. 8. 9. 13.* Gutt. l. c. c. 51. n. 2. Castrop. cit. §. 1. n. 4. Nihilominus licet jam etiam parochus sine tali licentia assistere possit secundo matrimonio, longè tamen tutius fore, ut res ad Ordinarium deferatur; imò id necessarium esse absolute, si rationabiliter dubitetur, num adsit certitudo moralis, vel præsumptio de morte alterius conjugis, nec ne, asserunt Laym. l. c. Pith. n. 136.

Quest. 327. An & quomodo mulier contracto secundo matrimonio, reduce illius viro, possit cum secundo remanere.

REsp. Tametsi cum consensu Ecclesiæ transferat ad secundas nuptias, & ex secundo viro susceperit liberos, libentiusque cum eo remaneret; quin etiam licet maritus prior redux eam non cupiat amplius, non potest cum secundo viro remanere, sed conjugaliter debet convivere primo, ut constat ex c. cum per bellicam; item ex c. eam in captivitate 34. q. 1. & patet; siquidem, cum constet priorem virum vivere, constet etiam, matrimonium secundum esse nullum, & consequenter secundum virum non esse suum; unde si pergat ei adhærere per usum conjugalem facti, erit adultera, juxta c. dominus. h. t. ubi *relictis adulterinis complexibus ad priorem conjugem revertatur:* quos tales vocat Papa, si de prioris conjugis vita constituerit; nimirum uxori ejus, quæ invalide transit ad secundas nuptias. Neque his obstat, quod cit. c. cum per bellicam. dicitur: *si viri (nimirum post longam captivitatem reversi) eas cupiant in suum consortium redire, restituendum est, quod fides poscit:* nempe conjugalis, obligans mulierem ad individuum vitæ societatem cum viro; nam loquitur citatus textus de restitutione ad cohabitationem, ex eo autem, quòd vir redux illam non cupiat, aut velit restitui, aut recipere uxorem, non sequitur, quòd ea possit manere conjugaliter cum secundo viro; cum per hoc, quòd vir rejiciat uxorem suam legitimam, non scindatur ligamen seu vinculum cum eo. Sed neque, si in hoc casu talis mulier se remansuram diceret, & promitteret cum secundo viro, non ut uxorem, sed ut inquilinam domus, Judex ecclesiasticus id tolerare non potest, cum sit morale periculum incontinentiæ, præsertim si ante carnis consuetudinem habuerint.

Quest. 328. An conjux teneatur conjugem reducem recipere quoad cohabitationem & thorum.

REsp. Si conjux, ad quem redit, non habeat justam causam divortii, tenetur reducem recipere ad cohabitationem & thorum. Hinc si conjux captivus per vim præcisam & absolute coactus fuisset ad signa solum externa falsæ Sectæ, v. g. circumcisus fuisset; vel etiam ut Krimer. de mat. n. 1857. coactus immolare idolo, teneretur adhuc alter conjux eum recipere ad thorum; secus, si captivus verè defecisset à fide, v. g. ad Mahometismum, & nollet